

www.e-rara.ch

**Roberti Bellarmini Politiani S. R. E. Cardinalis Solida Christianæ Fidei
Demonstratio**

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo

Antverpiæ, M. DC. XI.

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149054>

Caput quintum. Romanum pontificem Petro succedere in ecclesiasticâ monarchia.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPVT QVINTVM.

Romanum Pontificem Petro succedere in
Ecclesiasticâ Monarchia.

DEMONSTRANDVM nunc est Romanum Pontif. succedere Petro non tantum in Episcopatu Romano, sed etiam in vniuersâ Ecclesiâ primatu.

Prob. primò ex iure diuino, & ratione successionis. Debet enim petro iure diuino aliquis succedere: ille non potest esse alius, quàm Pont. Romanus: igitur ille succedit. Propositio prob. ex fine Pontificatus: nam certum est, Pontificem esse propter Ecclesiam, nō Ecclesiam propter Pontificem. Atqui Ecclesia non minus eget nunc vno pastore, quàm tempore Apostolorū: immò vero etiam magis, cum nunc sint Christiani & plures, & peiores.

Secundo ex vnitae Ecclesiæ. Nam Ecclesia est vna, & eadem omni tempore: non igitur debet mutari forma regiminis, quæ est forma etiam Reip. & ciuitatis.

Tertio ex verbis Domini: *Pasce oues meas*. Nam officium pastoris est officium ordinarium, & perpetuum: siquidem ex natura rei, tam diu durare debet officium pastoris, quàm diu manet ouile. Ouile autem manet vsque ad mundi consummationem: ergo, &c.

Quarto ex eodem loco: nam Dominus omnes oues Petro commisit; non solum omnes ratione loci, sed etiam ratione temporis, cum non minus nobis, quàm antiquis Christus prospicere debuerit. Sed Petrus non semper victurus erat in carne; ergo successores eius Dominus allocutus est.

Quinto, Ecclesia est vnum corpus, & suum quoddam caput hic in terris habet, præter Christum: nam, postquam Paulus dixerat, Ecclesiam esse vnum corpus, subiicit: *Non potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij*: quod certè non conuenit Christo. Nullum autem caput aliud assignari potest, præter Petrū; nec debet moriēte Petro corpus Ecclesiæ manere sine capite: ergo, &c.

Sexto; In veteri Testamento, successio erat summorū Pont. nam Aarōni successit Eleazarus: Eleazaro Phinees, & sic de cæteris. Denique; huc faciunt omnia argumenta, quibus probatum est, regimen Ecclesiæ debere esse Monarchicum. Assumptio autē argumenti facillè probari potest. Nullus enim est, nec vnquā fuit, qui se Petri successorem vllō modo asseruerit, vel pro tali sit habitus, præter Romanum, & Antiochenum Episcopum: atqui Antiochenus non successit Petro in Pontificatu Ecclesiæ totius. Nā non succeditur, nisi cedenti locū, vel per mortē naturalem, vel per mortem legitimā, id est, depositionem, vel renunciationem. Petrus, autem adhuc viuens, & Pontificatum gerens, Antiochenam Ecclesiam reliquit, & Romæ sedem suam fixit: restat igitur, vt

Prob. v.
Præmatia
Pont. Rom.

Ioan. vii.

1. Cor. 12.

Num 20.
Iud. 20.

Cap 6.

Romanus Episcopus, qui Petro in vrbe Româ morienti successit, eidem in totâ ipsius dignitate, & potestate successerit. Præterea: Si Antiochenus Episcopus Petro in summo Pontificatu successisset, primus Episcoporum fuisset. At Nicænum Concilium, Antiochenum Episcopum tertium Patriarcham, nõ primum, nec secundum declarauit, sicut fuerat semper: nec vnquam Antiocheni Episcopi altiorem locum quæsierunt.

Nota. 1.

Vt autem tota res meliùs intelligatur, obseruanda sunt quædam. Primò, aliud esse successionem, aliud rationem successionis. Nam successio Romani Pont. in Pontificatum Petri est ex instituto Christi: ratio autem successionis, quâ Romanus potiùs, quàm Antiochenus, vel alius aliquis succedat, ex facto Petri initium habuit. Nam Petrus potuisset nullam sedem particularem sibi eligere vnquam, sicut fecit primis quinque annis: & tunc moriente Petro non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is, quem Ecclesia sibi elegisset. Potuisset quoque semper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus sine dubio successisset, quia verò Romæ sedem fixit, & tenuit vsque ad mortem, inde factum est, vt Romanus Pont. ei succedat.

Nota. 2.

Obseruandum secundò: Tamen si fortè non sit de iure diuino, Romanum Pontificè, quia Rom. Pontifex est, Petro succedere in præfecturam totius Ecclesiæ, tamen si quis absolutè petat; An iure diuino Rom. Pontifex pastor sit, & caput totius Ecclesiæ? omninò id afferendum est. Nam ad hoc nihil aliud requiritur, quàm vt ipsa successio sit de iure diuino, id est, vt ordinarium officium Ecclesiæ vniuersam cum summâ potestate gubernandi, nõ sit ab hominibus, sed à Deo immediate institutum.

Nota. 3.

Obseruandum tertio: Licet fortè non sit de iure diuino, Rom. Pontificè, vt Rom. Pontificè, Petro succedere, tamen id ad fidem Catholicam pertinet. Non enim est idem, aliquid esse de fide, & esse de iure diuino. nec enim de iure diuino fuit, vt Paulus haberet penulam, est tamen hoc ipsum de fide. Et si autem, Romanum Pontificem Petro succedere, non habeatur expressè in Script. tamen succedere aliquem Petro, deducitur euidenter ex Scripturis: illum autem esse Rom. Pont. habetur ex traditione Apostolicâ Petri, quam traditione Concilia generalia, Pont. decreta, & Patrum consensus declarauit.

Nota. 4.

Obseruandum postremò, Rom. Episcopatum, & Ecclesiæ vniuersæ præfecturam non esse duos Episcopatus, neque duas sedes, nisi in potentiâ. Nam Petrus, Pontifex totius Ecclesiæ à Christo institutus, non adiunxit sibi Episcopatum vrbs Romæ; quomodò Episcopus alicuius loci adiungit sibi alium Episcopatum, vel Canonicatum, Abbatiam: sed Romanæ vrbs Episcopatum euexit ad summum orbis terræ Pontificatum, quemadmodum cum Episcopatus simplex erigitur in Archiepiscopatum, vel Patriarchatum. Et in huius rei signum, non datur Pontifici summo, nisi vnum pallium, etiam si Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, & summus Pont. sit. Hęc enim omnia sunt vnum actu, & tantum in potentiâ multa.

Prob. 2.

primatus

Pont. Rom.

Prob. 3.

Probari etiam posset Rom. Pontificis primatus ex Concilijs, summorum Pont. testimonijs, Patribus Græcis, & Latinis.

Idem prob. ex origine, & antiquitate primatus. Nam, si non est, vt dicimus;

mus; ergò alio tempore & alio auctore capit Rom. Pontificis Ecclesiasticus principatus. At nullum tempus assignari, nullus auctor notari potest, quin eo antiquiorem hunc primatum fuisse demonstramus, nisi ad Christum auctorem, & Christi tempora veniatur: ergò, &c.

Prob. etiam ex auctoritate, quem semper exercuerunt veteres Pont. in Episcopos ceteros. Siquidem legimus, à Pont. Romanis Episcopos in toto orbe institutos, vel depositos, vel restitutos. *Prob. 4.*

Prob. quoque ab auctoritate leges ferendi, dispensandi, & puniendi, quam Rom. Episcopus in Ecclesiæ filios, quamvis maximos, & nobilissimos exercuit. *Prob. 5.*

Prob. etiam ex eo, quòd Rom. Pontifex à nemine in terris possit iudicari. Nota, nos hinc non disputare de Rom. Pontifice, ut est princeps temporalis, hoc enim modo ne aduersarij quidem negant, eum non posse iudicari in causis temporalibus. Est enim commune omnibus absolutis Principibus, ut nullum agnoscant superiorem in negotijs temporalibus. Loquimur ergò de Pontifice ratione solius Pontificatus: ac dicimus eum, etiam si ditionem temporalem nullam haberet, non posse vlllo modo iudicari in terris ab vlllo Principe Christiano, siue seculari, siue Ecclesiastico, neque ab omnibus simul in Concilio congregatis. *Prob. 6.*

Ratio autem præcipua, cur Papa iudicari non possit, est, quia Princeps est Ecclesiæ totius, & proinde superiorem in terris non habet: nam, quia summus Princeps est Ecclesiæ, non potest iudicari ab vlllo Ecclesiastico Antifite: & rursum, quia Resp. Ecclesiastica spiritualis est, ac proinde maior ac sublimior quàmuis Rep. temporali, propterea summus Princeps Ecclesiæ dirigere, & iudicare potest summum Principem Reip. temporalis; non autem ab eo dirigi, aut iudicari debet, nisi rectus ordo, & ipsa rerum natura peruertatur.

Prob. hoc etiam ex testimonijs Conciliorum, Pontificum, Imperatorum, ac Doctorum Ecclesiæ. *Prob. 7.*

Sed obijciunt Pontificem in casu hæresis posse iudicari ab Ecclesiâ, & deponi. *Obiect.*

Respondeo de hæc re quinque esse opiniones. Prima est Alberti Pighij, qui contendit, Papam non posse esse hæreticum, proinde nec deponi in vlllo casu: quæ sententia potest defendi. *Resp. 1. Sententia.*

Secunda est, Papam eo ipso, quo in hæresin incidit, etiam interiorem tantum, esse extra Ecclesiam, & depositum à Deo; quocirca ab Ecclesia posse iudicari, id est, declarari depositum iure diuino, & deponi de facto, si adhuc recuset cedere. Hæc est Ioannis de Turrecremata, sed mihi non probatur. Nam iurisdictio datur quidem Pont. à Deo, sed hominum operâ concurrente: igitur non adefertur etiam à Deo, nisi per hominem. At Hæreticus occultus non potest ab homine iudicari: falsum ergò etiam est eum esse extra Ecclesiam. *2. Sententia.*

Tertia opinio est in altero extremo; nimirum Papam neque per hæresin occultam, neque per manifestam esse depositum, aut deponi posse. Sed hæc est valde improbabilis: miserima enim esset conditio Ecclesiæ, si lupum manifestè *3. Opinio.*

nifestè grassantem pro pastore agnoscere cogeretur.

4. *Opinio.*

Tit. 3.

Quarta opinio est Caietani, qui docet, Papam hæreticum manifestum non esse ipso facto depositum, sed posse, ac debere deponi ab Ecclesia. Quæ sententia iudicio meo defendi non potest. Nam, quòd hæreticus manifestus ipso facto sit depositus, prob. auctoritate, & ratione. Auctoritas est B. Pauli, qui iubet, hæreticum post duas correptiones, id est, postquam manifestè apparet pertinax, vitari: & intelligit ante omnem excommunicationem, & sententiam iudicis. At non potest vitari manens Papa: Ergò, &c. Ratio etiam certissima est. Nam non Christianus non potest esse Papa, quia non potest esse caput id, quod non est membrum: at non est membrum Ecclesiæ, qui non est Christianus. Ergò, &c. Posse etiam Papam hæreticum ab Ecclesia deponi verè, & ex auctoritate, non minùs videtur falsum: nam si Ecclesia inuitum Papam deponit, certè est supra Papam.

5. *Opinio.*

Quinta ergò opinio verà est, Papam hæreticum manifestum per se definire esse Papam, & caput, sicut per se definit esse Christianus, & membrum corporis Ecclesiæ: quare ab Ecclesia posse eum iudicari, & puniri. Hæc est sententia omnium veterum Patrum, qui docent, hæreticos manifestos mox amittere omnem iurisdictionem: & etiam doctissimorum recentiorum.

Prob.

Fundamentum autem est, quia hæreticus manifestus nullo modo est membrum Ecclesiæ; id est, neque animo, neque corpore; siue neque vnione interna, neque externa. Nam Catholici etiam mali vniti sunt, & sunt membra animo, per fidem; corpore, per confessionem fidei, & visibilia Sacramentorum participationem: hæretici occulti sunt vniti, & sunt membra solum externa vnione; sicut è contrario boni Catechumeni sunt de Ecclesia interna vnione tantum; non autem externa: hæretici manifesti nullo modo.

Prob. 8.

Prob. etiam primatus Rom. pontificis ex nominibus, quæ ipsi tribui solent: Quæ sunt quindecim: Papa, Pater Patrum, Christianorum Pontifex, Sacerdos summus, Princeps Sacerdotum, Vicarius Christi, Caput corporis Ecclesiæ, Fundamentum adificij Ecclesiæ, pastor ouilis Domini, Pater, & Doctor omnium fidelium, Rector domus Dei, Custos vineæ Dei, Sponsus Ecclesiæ, Apostolicæ sedis Præsul, Episcopus vniuersalis. Ex quibus omnibus, & singulis apertè colligitur eius primatus.

Papa.

Primum, & communissimum, & antiquissimum Episcopi Romani nomen est *Papa*. Est autem *Papa*, seu *Pappas* apud Græcos vox, qua blandientes, vel balbutientes pueruli parentes suos appellare solebant: nam apud Homerum filia dicit Patri, *πάππα φίλε*. Apud Latinos veteres similiter patrem, vel auum, id est, patrem patris, significabat. Hinc ergò Ecclesiastici patrem spirituale blandi illo vocabulo Papam appellare ceperunt. Quamuis autem nomen hoc tribuatur à veteribus interdum cuilibet Episcopo, tamen tribus modis ex hoc nomine colligitur Episcopi Rom. primatus.

Primò, quia per antonomasiam, cum absolutè pronuntiatur *Papa*, ipse solus intelligitur.

Secundò, quia ipse solus totius Ecclesiæ dicitur *Papa*.

Tertiò, quia Episcopus Rom. à toto mundo, & à generalibus Concilijs vocatur

vocatur pater, siue papa: ipse vero neminem vocat Papam, vel patrem; sed omnes filios, vel fratres.

De 14. nomine, nota interdum ab antiquis vocari sedes Apostolicas, non solum Romanam, sed etiam Antiochenam, Ierolimitanam, Ephesinam, & alias: quas Apostoli fundauerunt, & in quibus, tanquam Episcopi, federunt. Sed in tribus excellit Rom. Pontifex quantum ad hoc nomen. *Presul sedis Apostolica*

Primo, quia cum dicitur absolute, sedes Apostolica, semper intelligitur Romana.

Secundo, quia Rom. Pontifex non solum dicitur sedem Apostolicam tenere, vt Antiochenus, & Ephesinus, sed etiam principatum Apostolicę sedis.

Tertio, quia Rom. Pontifex non tantum dicitur presul Apostolicę sedis, vt Antiochenus, & quidam alij, sed etiam munus eius dicitur Apostolatus. Ex quo deducitur, Antiochenum & Ephesinum, & similes fuisse quidem Episcopos, Apostolicarum sedium, id est, earum, in quibus Apostoli federant, sed non successisse Apostolis in Apostolatu vlllo modo: at Rom. Pontificem esse Episcopum Apostolicę sedis, & succedere aliquo modo in Apostolatu, id est, in cura totius orbis terrę, quę erat pars quędam Apostolatus.

CAPVT VI.

De nomine Antichristi; & An sit vnus
homo, an genus ho-
minum?

Nomen *Antichristi* solum significat aliquem Christo contrarium; & contrarium non quomodocunque, sed ita, vt cum eo de sede, & dignitate Christi certet: id est, qui sit æmulus Christi, & velit haberi Christus deiecto eo, qui verè est Christus. *Vox Antichristi*

Prob. primo, quia apud Gręcos illa vox *ἀντι*, propriè significat oppositionem. Et quoniam opponi dicuntur non solum ea, quę pugnant inter se, sed etiam ea, quę æquipollent, hinc factum est, vt *ἀντι* in compositione interdum significet contrarietatem, interdum æquiualentiam: nunquam autem subordinationem. Vt patet in exemplis. *ἀντίπαλος* significat æmulum in luctā: *ἀντίδοτον* contrarium remedium: *ἀντίφρασις* contrariam locutionem: *ἀντίστροφος* æquiualem: *ἀντίθεος* æqualem Deo: *ἀντίχειρ* pollex est, quia è regione opponitur, & æquiualeat toti reliquę manui: & sic de cęteris. Vicarius autem non significat oppositionem, sed subordinationem ad aliud: & ideo non potest exprimi per vocem *ἀντι*. *Prob. 1o*

Secundo prob. ex Scriptura. Nam etiam si hoc nomē esset ex se ambiguum, tamen, vt in Script. accipitur, non est ambiguum: & nostra quęstio non debet esse